



Casparus natus est in inclyta urbe Saxonie Lipsia prima die Ianuarij, Anno 1504, circiter horam primam post mediam noctem, ita ut duo tantum fuerint Planetarum domicilia. Nam Sol, Venus, & Mercurius in Capricorno tertium locum à Horoscopo occupabant, cæteri autem, utpote Saturnus, Iupiter, Mars, & Luna in Cancro existentes nono loco uoluebātur. Extabatq; tantum supra finitorem Spica Virginis, quantum infra adhuc à linea Horizontis duæ lucentes in utra chele aberāt, quæ quidem nobis simul oriuntur. Congruebat etiam totus asterismus Leonis cum decimo loco ab Horoscopo. Itaq; tum congressus stellarum nō uulgaris erat. Sed habuit ipse gubernatorem alium multò meliorem & potentiorē, scilicet Spiritum sanctum, cuius impulsu uirtutum semina in eo fouebantur. Visus is erat initio parētibus segnior, propterea quod pauciloquus & cogitabundus esset, atq; sæpe in medijs sodalitijs quasi peregrinante animo, quæ quidem natura propriè Melancholicorū existit. Sed cum celeriter Grammaticen à Georgio Helto uiro optimo percepisset, postea Casparo Bornero commendatus fuit. Is statim animaduertit nequaquam tardam aut ignauam naturam (ut uidebāt) in eo esse, sed & auidam doctrinæ, & celeriter omnia arripiens tem quæ proponebantur, ita ut tum maximè in ea quæ disceret intentam cogitationem haberet, cum aliud agere existimabatur. Vnde is bene sperare parentes de filij ingenio iussit, & hortator fuit, ut apud Petrum Mosellanum in utracq; lingua Graeca & Latina exerceret. Audiuit etiam tum Crotum Britanicum, atq; Ioachimum Camerarium comilitonem habuit. Cum hoc modo feliciter in literis pergeret, & in morib; nihil arrogatiæ, insolentiæ, aut fuci, sed natura recta, cädida, casta, pia, & disciplinæ patiens esset, Petrus eum ut filium complexus est, atq; eius indolem omnibus prædicauit.